

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31237
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

Septimanarij autem ante unam horam refectionis accipiant
super statutam annonam singulos biberes et panem ut hora
refectionis sine murmuratione et graui labore seruiant fra-
tribus suis. In diebus autem sollempnibus usque ad missas
sustineant. Intrantes et exeuntes ebdomadarij in oratorio
mox matutinis finitis dominica omnium genibus prouol-
uantur postulantes pro se orari. Egrediens autem e septi-
mana dicat hunc versum. Benedictus es domine deus qui ad-
iuuisti me et consolatus es me. Quo dicto tercio accipiat
benedictionem egrediens. Subsequatur autem ingrediens et
dicat. Deus in adiutorium meum intende domine ad adiuuandum
me festina. Et hoc idem tercio repetatur ab omnibus et accepta
benedictione ingrediatur. De infirmis. Capitulum lv.

Capitulum 36.

Infirmorum cura ante omnia et super omnia adhiben-
da est ut sicut reuera christo ita eis seruiatur quia ipse
dixit. Infirmus fui et visitastis me. Et quod fecistis uni de
hijs minimis meis michi fecistis. Sed et ipsi infirmi consi-
derent in honorem dei sibi seruiri et non superfluitate sua contris-
tent fratres suos seruientes sibi. Qui tamen pacienter portan-
di sunt quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura
maxima sit abbati ne aliquam negligenciam paciantur. Qui-
bus fratribus infirmis sit cella super se deputata et seruitor
timens deum et diligens ac sollicitus. Balnearum usus infir-
mis quociens expedit offeratur. Sanis autem et maxime iuuenibus
tardius concedatur. Sed et carnium esus infirmis om-
nino debilibusque pro reparacione concedatur. At ubi meliorati
fuerint a carnibus more solito omnes abstineant. Cura autem
maxima sit abbati ne a cellerarijs aut seruitoribus negligantur